


27



27

INQUISITIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS
DE
LAPIDE SOLIS.
QUAM,

Præside DEO T. O. M. omnis luminis in cognitione
naturali Auctore ac Sapientiae Thesauro,
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,
D. JACOBI TRIGLANDII, I.F.I.N.
SS. THEOL. DOCT. ET IN ACAD. LUGD.
BAT. PROFESSORIS. ECCLESIÆ
IBIDEM PASTORIS.

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Celeberrimæ, ac Subtilissimæ Facultatis PHILOSOPHICÆ
Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS, in Philosophia,
J U X T A A C

Liberalium Artium Magisterio,

Omnibusque Insignibus, ac Prærogativis ritè, solenniter,
& MORE MAJORUM consequendis.

Placide omnium Censura exponit, & ab omnibus Philosphantium objectionibus defendere suscipit

JOHANNES GALE Lond. Anglus
Ad diem 2. Julii, loco, horâque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER.
Academiz Typographum. M DC XCIX.

237

a.s.

INQUISITIO PHILOSOPHICA
IN AUREO RAVI

FAPIDE SOLIS

DEO T. O. M. omnis tuus in cogitatione
in agone ac tribulatione regnare
Divitiorum triginta tripli
Theorum locorum et in acco. lued.
RAT. TRES

SENECA

Non, quia difficultia sunt, multa non aude-
mus, sed, quia non audemus, difficultia
sunt.

TRI GRADA DOCTORATUS in Philosophia
LUXATAC

Luxatam dicitur M. B. S. S.
Quintuplices legesque, et proportiones inter ipsas
et MORI MAJORIS. C. c. c. d. e. f.
In aliis numeris certe est, q. si minus propter
separatae existentia de natura illarum.

JOHANNES GALE. F. o. f. A. n. g. u. s.



100
102

Vitæ Morumque integritate , Facun-
diæ & Comitatis decore , ac Erudi-
tionis præstantia Clarissimo , Vi-
gilantissimo , summoque Viro
PHILOSOPHO

D. D. WOLFERDO
SENGUERDIO.

Liberalium Artium Magistro ;
Philosophiæ , & Juris utrius-
que Doctori Acutissimo , sub-
tilissimo , illiusque in Illu-
stri , quod Lugduni Bata-
vorum est , Athenæo , Pro-
fessori Ordinario , Facillimo ,
Diligentissimo ; Naturæ Ru-
spatori sedulo : Philosophiæ
Experimentalis Cultorum
facile Principi ac Coryphæo
A 2 maxi-

maximo ; Veritatis Philo-
phicæ Vindici strenuissimo ,
Prudentissimo, Invictissimo ;
Consiliis Parenti , studiorum
Philosophicorum Præcepto-
ri, & Consummatori Unico ;
omni amoris, reverentiæ, &
gratitudinis genere, ætatem
colendo, honorando ,

Hancce Disputationem Inauguralem ,
ut grati animi indubitatum συμένον ,

& debitæ observantiae

σφεαγῆδα

Offero, Inscribo, ac Consecro,
omni animo, & affectu

JOHANNES GALE,

Phil. Candidat.



INQUISITIO PHILOSOPHICA
INAUGURALIS,
DE
LAPIDE SOLIS.
PROOIMION,

Dgnari omnes nascimur, & multi, imo plerique rudem amant ignorantiam potius, quam aliquem adhibeant laborem ut se ipsos ex ejus liberent captivitate; patiuntur se excaecari, ac æternis inscitiae vinculis ligari; quod majus est, sibi miseris hoc in statu constitutis, gratulantur, & eos, qui re vera maturiori usi sunt sapientia, derident, ac stultitia insimulant, cum tamen ipsi sint cæci, non videntes miseriam suam. Ab hisce non longè recedunt, qui à limine vix salutant Philosophiæ sacrarium; ac scaturientem inde placidam animi quietem, debitâ cum mentis intentione haud satagunt; qui ubi vix, imo

imo vix ad superficiem pervenerunt, ex cortice di-
judicant, & veros Philosophiae cultores, interiora
Naturae mysteria penetrantes, acerbissimis prosequun-
tur opprobriis; quorum lingua est sapientiorum flagel-
lum quasi, etiam si iis nocere nequeat, secundum illud
Senecæ, Non refert, quam multa in illum conjiciantur
tela, cum sit nulli penetrabilis. Secundum illos,
Philosophi incipiunt insanire, si modo paululum ab
eorum sententiis aberrent, & si vires intendant in
contemplatione, vel explicatione, alicujus quod vul-
go impossibile, vel paradoxum videtur, statim stulti,
ac vani nominantur. Quidam Philosophiae quidem
operam dant, non autem propter se, sed propter aliud,
unde & eam negligenter admodum pertractant, eam-
ve, quasi per se inutilem disciplinam rejiciunt, præ-
judicata mente abrepti statuentes, illam subtile modo
disputatiunculas continere; nil commodi ex ea spe-
randum; ac temporis nimium solidæ, ac perfectæ (si
qua sit ex eorum mente) cognitionis rerum, ad Philo-
sophiam pertinentium acquisitioni impendendum; unde
quasi canes è Nilo vix labra admoventes, extremove
attingentes digito, tandem tantum non habent de
Philosophia, quantum umbra corporis de corpore: qua-
les satius foret nunquam ad Philosophiam fuisse ad-
missos; nam nihil intelligentes putant se multum in-
telligere, & imitantes Claudium Cæsarem, qui lites so-
lebat dirimere unâ parte tantum auditâ, & sâpe
neutrâ, judicia ferunt de rebus quas vix, imo non
omnino intelligunt; nec, ut ex ipsorum vel scriptis,
vel colloquiis colligere facile est, norunt quid Philo-
sophi de iis statuant; Exemplum erit LAPIS SOLIS
quem rident, ac rejiciunt, quasi Poëtarum foret fig-
mentum, ac chimera, cum tamen ejus utilissima ac
pro-

*profunda sit sapientia, quam qui consequitur, jure
habeatur felix, ne dicam fortunæ bonis beatus. Hu-
jus itaque Lapidis examen, subsequentis nostræ dis-
quisitionis inauguralis lemma esto; vituperatores in-
terim discant reprehendi ab Aristotele, qui paucis in-
spectis ferunt sententiam; discant à Jureconsultis,
improbari ut iniqui qui iudicant totâ lege non per-
spectâ.*

C A P. I.

In quo continetur Historica Lapidis cognitio.

§. 1.

Lapis ille Solis (sic dictus quia alia per illum metalla, in so-
lem i. e. aurum transmutari censentur) quem communis no-
mine vocant Philosophicum, seu Philosophorum (quia iis tan-
tum & Lapis, & ejus innotuit usus) ut infinitæ penè inter
Filios Artis æstimator virtutis, sic etiam plurimis insignitur
nominibus; Aliis à materia ex quâ educi, vel componi censetur,
Tinctura metallorum, in genere dicebatur; cum solà in regione me-
tallica quærendum arbitrarentur. Alii, ut artem obscuritatibus
involverent, per synecdochen, ab aliquâ metallorum specie, il-
li nomen imposuerunt, ut quando Æs, Plumbum, Stannum,
&c. appellatur. Nonnulli, & inter cæteros Aristoteles, in li-
bro de secretis secretorum (si modo is liber Aristotelis est)
Lapidem animalem, nec non & vegetalem, nuncupant; forsan
quia ex regno animali, vel vegetabili habendum putant. Vel
propter facultatum ac munerum analogiam, dicitur, Ovum
Philosophorum, & Ovum Metallicum; quia ut ovum est
princeps pars conceptionis in animalibus, sic concipiunt in me-
tallorum transmutatione, totum opus ab illo dependere Lapide,
seu (secundum Pythagoram, si Marcello fidendum sit) Fabâ.
Nuncupatur etiam Theriaca, Toxicum, & Venenum Philoso-
pho-

phorum; eo quia subito coagulat, & fixat eorum argentum vivum, quasi interimendo. Chymici, quibus sacer principiorum ternarius numerus Sal præ Sulphure ac Mercurio aestimantes, nobilem Lapidem nobiliori Salis nomine insignierunt; & forsitan eò magis, quia (ut D. Boyle Expertissimus Chymicus dicit) salia præcipue, & activissimæ sunt partes eorum, quæ Chymici ex mixtis corporibus extrahunt; nam aliquid magis activum, quam hic est Lapis, dari negant. Aliis dicitur Hyle i.e., rerum omnium principium; & Universalis Medicina, quia concipitur in se habere perfectiones, & non solummodo metalla ignobiliora, in nobiliora convertere, sed etiam omnes morbos, & imperfectiones ab animalibus, & aliis corporibus abstergere; & quia in eo omnia sunt, Zibeth dicitur. Nominatur etiam Philosophorum Secretum, Sanctus Unicus, Lac Virginis, Æreus Lapis, Thirnius Lapis, Magnesia, Lapis gemmæ, Liberorum, Aureus, Xelis per conversionem silex, Xidar eadem conversione Radix, Atrop quoque per conversionem Porta, &c. Sed de voce hæc sufficerint, omnia enim ejus nomina, & diversas appellations recensere tædiosum nimis, ac frustraneum foret.

§. 2. Quod considerationem primo meretur loco, Lapidis hujus subjectum est, ex quo vel educatur, conficiatur, vel quocunque demum modo præparetur. Quodnam verò illud sit, cognitu difficillimum est, & non nisi paucis constat; & inter præcipuos hujus Artis scriptores, qui Lapidem se habuisse profitentur, multum disceptatur. Alii enim afferunt esse in regno Animali, indeque quærendum, in Sanguine, Spermate, Sudore, Urina, Crinibus, Fimo, Ovis, Serpentibus, Bufonibus, Araneis, &c. Alii in Vegetali, ut in Arboribus, Plantis, Floribus, Foliis, Fructibus, Radicibus, Herbis, &c. sed hos deridens Senior, si talibus, inquit, diceretur, Ovis peperit hominem, aut volatilia parturiunt pisces, aut palma portavit mala granata, responderent utique, Fabulam narrasti; non generant res nisi sibi similia, & non fert unaquæque arbor nisi fructus suos. Similiter & Rogerius Baccho in speculi cap. 3. admiratur illorum hominum stultitiam, dicens; Mirandum est igitur, quod vir providus intentionem, fiduciamque suam in rebus animalibus, & vegetalibus collocet, quæ tamen longè separa-

tæ sunt, cum tamen longè proximiora Mineralia reperiātur. Ita etiam (Aur. Tract. de lapid. Philoso.,) Lapis noster Basilio Valentino teste, non crescit ex rebus combustibili- bus. Ille namque, ipsiusque materia, ab omni ignis periculo tutus, & immunis est. Quo circa eundem in rebus animalibus quærere desistit. Si quis vero in rebus vegetabilibus --- lapidem nostrum quærere voluerit, ille ex supra positis cau- fis non minus errabit, quam ille, qui ex animali quodam, in- gentem aliquam rupem confidere conetur. Alii etiam in mine- ralibus laboravère, qui videntur proprius ad verum subjectum accedere; sed & hi iterum inter se disputationis reciprocarunt serram; Nonnulli putantes magnum illud secretum in solo con- tineri Mercurio; quos tamen longissimè errare pronunciat Al- dimarus, hac adversus illos armatus ratione, quia ex sola materia paciente, sine sulphure agente, non perficitur. Alii igitur in Mercurio cum Sulphure mixto. Alii in solo Sole. Alii in Mercurio & Venere. Alii in Salibus, Atramentis, & Alumi- nibus, solventes cum ipsis, aut eorum aquis Solem, Lunam, aut alia metalla. Alii in Mercurio cum Sole, vel Lunâ. Alii in Arsenico, & Auripigmento. Alii in mineralibus mediis di- stis, ut Marchasitâ, Thuciâ, Magnesiâ, Antimonio, & simili- bus, & quot fuere in hac arte diversi inquisitores, ac studiosi, tot ferè diversa adsignata subjecta; secundum illud, *quot capi- ta, tot sensus*: ex magno enim numero Philosophorum qui sese hujus artis indagationi dederunt, perpauci inter se conve- niunt; vel enim diversum eligunt subjectum, vel operationem di- verso instituunt modo, vel alias saltem variant circumstan- tias, ut vix duo (saltem ut videtur) in eadem possint navi- inveniri.

§. 3. Sed quantumvis disputent de ejus materia prima, omnia tamen quotquot sunt unanimiter divinam quasi illi conce- dent naturam, ac incomparabilem virtutem; nam, facto ru- beo Lapide omne corpus tingit ad perfectionem, inquit Alphi- dius: & ut docet Magister. Bon. in fin. 5. capituli, non so- lum alterat, sed etiam in instanti transmutat, & absque violentia permiscetur rei alterabili, cum spoliatione omnium superfluo- rum, & adustibilium. Ille omnia metalla in aurum convertit, & est sicut forma, auri habens virtualiter, & activè omnes diffe- rentias

rentias, & passiones, quas habet aurum minerale. In genus vegetale admirabiles exercet operationes, omnes enim plantas, arbores, frutices, suffrutices, & herbas, tempore veris magno, ac miro suo calore vivificat, illarumque vim vitalem corroborat, & excitat: Et si hujus Solaris Lapidis aliqua quantitas in aqua dissolvatur, & in cor, seu centrum trunci vitis injiciatur, flores & folia nascentur, fructusque mense Maijo producet, &c. Sed præprimis tres habet hic Lapis præ aliis lapidibus virtutes: Primo, Mercurium crudum in igne positum, & quælibet alia metalla in verissimum Solem, meliorem omni naturali, convertit, ut docent Rosarius, & Morienus in translatione novâ. Secundo, homines in suavitate, & juventute conservat, ab iis repellendo cunctos languores, & morbos, & omnes ferè incurabiles infirmitates mulcet, ac dispergit; vita terminum procrastinare concipitur. Hinc aliqui putant Adamum, Methuschaëlem, & alios primi seculi homines, non potuisse tamdiu vixisse, absque sancti hujus Lapidis adminiculo; & quid aliud fabula illa Medeæ Æsonem filium Jasonis in juventutem restituentis. Saturni Cælo patri suo genitalia abscondentis, & in mare projicientis, ex quorum sanguine & maris spuma commixtis nata est Venus. &c. quæcumque sunt hujus generis aliae; quid aliud dico, nisi hunc lapidem illæ fabulæ respicere possunt, nam

Omnes ex lœso depellit corpore morbos

Sive sit humanum, sive metalliferum.

Tertio, ut nihil deficiat quod secreti hujus admirationem augere queat, Lilius addit, quod vitrum malleabile faciat, (quod etiam refert Plinius lib. 36. cap. 26.) & quod ex mille perlis una prægrandis, & naturali similis ejus ope posset componi. Præterea lapidum pretiosorum ægritudines, seu imperfectiones, aut diminutiones vel perspicuitatis, vel coloris, vel duritiei, vel ponderositatis, curat & perficit, & ad virtutem naturalem, imo perfectiorem reducit, ac (ut habet Albertus Magnus lib. I. Min. cap. 1.) unum in alterum transmutat: quibus mille aliæ ab Autoribus adduntur, sed harum præcipuarum nunc mentionem fecisse sufficiet.

§. 4. Nunc, ut nihil prætermittatur quod videtur ad generali hujus Lapidis historiam pertinere, de origine & progres-

fu

su artis , ex quorundam sententiâ dicendum venit. Vincentius igitur Bellovacensis primum hujus artis principium ab Adamo , primo hominum parente , petit , à quo , per multos traduces , tractu temporis ad Apostolicum Dominicum pervenit , cui etiam se multum debere ingenuè fatetur ; cui sententiæ illi videntur assentire , qui supponunt veteres , ac primæ hominum proles eâ arte , suam tamdiu continuasse vitam. Alii verò maluerunt , Adamo quidem hanc artem fuisse notam , sed tamen postea in oblivionem abiisse , & ab illa oblivione ab Hermete h. e. Mercurio (qui dicebatur Trismegistus , quia fuit & Rex , Sacerdos , ac Philosophus , seu (ut refert Suidas) quia de Trinitate loquutus fuit in Deitate) Artis chimicæ Principe instauratam fuisse , quemadmodum Bernardus Trevisanus vult in libro suo de Miracul. Chemic. Ipsum verò Hermetem non putant ex se habuisse , & inventisse artem illam , sed didicisse ex lapideis quibusdam (Bernardo loco citato septem numero) tabulis , quibus inscriptæ fuerunt septem liberales artes à nonnullis sapientibus ante diluvium , & quas tabulas reperierat Hermes in Hebron , ut refert Joan. Franciscus Pica Mirandulæ Comes lib. 2. de Auro cap. 2. Sed Aros in Epistolâ ad Regem Meffohe putat Deum hanc artem revelasse filii Israël , ad arcam Domini decorandam auro , & perficiendam ; Bernardus autem judicat Hermetem omnes à diluvio præcessisse in hujus artis inventione , Hermetemque alios plurimos eam docuisse per libellum , quem inscripsit Smaragdinam Tabulam. Joan. Francisc. Pic. Mirand. propriam suam traditurus sententiam dicit , Ego verò quantum à Græcis Latinisque Autoribus colligere potui , compario artem antiquissimam quidem , sed paulo ante Trojanum bellum , utpote vetustissimis illis Græcorum temporibus ejus mentionem , sub involucris fabularum , & ænigmatum nebulis indicatam ; sic Erysthei mala cupientis aurea jussum Michaël Pefellus interpretatur , sic Jasonis in Colchos navigatio declaratur apud Suidam , ut non auream Phryxi pelle , sed membranam arietinam , quâ faciendi auri facultas describeretur , quæsitum ierint Argonautæ : quanquam non me fugit Varronem id tribuisse velleribus pecudum ; Strabonem hirsutis pelliculis ovium , quibus auri colligerentur ramenta de fluviiis --- Cæterum ars faciendi aurum Græcis Autoribus ferendane accepta sit , an à Per-

sis, Ægyptiis, cæterisque nationibus, quæ orienti soli propinquiores habentur, manaverit, non satis habeo compertum: Quanquam & in Persis Hostianem, --- pariterque comperi Democritum apud Græcos principem chemicæ facultatis, in oriente versantem ab Ægyptiis, à Persis, ab Indis, multa didicisse:--- Hic post Rhetorica, Historica, Physica, Mathematica, scripsit & Chemica, necnon & Medica, quæ Constantino Imperatori dedicavit. Olympiodorus quoque Alexandreus & Platonicus, & Aristotelis Interpres Chemica scripsit. --- Theophilum aliosque præterea, & ipsum Zosimum, Alexandreum Philosophum, qui de arte composuerit duo de triginta volumina; quorum omnium præcepta solent in Democritum referri, qui fuit naturæ solertiſſimus indagator, & beneficio longissimæ ætatis, nam supra centum vixit annos, multa deprehendit quæ literatorum vulgus latuere: --- Depopulata vero Græcia, & post inclinationem Rom. Imperii, desolatâ Italiâ, Barbararum gentium crebris vastitatibus, cum receptæ colique ceptæ literæ fuissent à Mauris & Arabum populis, in eam quoque linguam multa artis chemicæ volumina translata sunt, ex quibus & ipsi quoque Mauri, ii præcipue qui Bethicam incoluere, compilaverunt libros, & operam quoque & impensam non recusarunt. Hinc & Avicenna, & Rhasis, & Geber, & Arabum denique Philosophorum numeroſa turba, de rebus chemicis edidere volumina, quos aliquo post tempore & Vincentius, & magnus Albertus, & alii plurimi secuti sunt. Sed hæc ex Mirandula; & quæ protulimus ad historiam sufficient, in cuius narratione, Autorum modò communiores sententias, & opinioneſ memini, propriam autem tacui, institutum enim nostrum non est perfectam, & omnibus numeris consummatam concinnare historiam; sed ideo tantum, quia per pauci legunt Autores, qui in hoc versabantur pulvere, non inane opus putavi, antequam ad ipsum me accingarem propositum, generalia quædam ex aliis referre Autoribus, ne Lectores nimis ignari theſsum & dogmatum, quæ à filiis artis tenentur, statuuntur, nudi, vel ac imparati satis ad hujus dissertationis lectionem accederent; potest etiam brevis hæc collectio aliquem præbere uſum iis, qui curiosiores sunt, ac cupiunt scire quid alii de hoc Lapide ſenferint, & unde originem traxerit; tales enim aliquando vel non habent uſum bibliothecæ scriptis

de

de hoc subjecto refertur, vel si habeant, sæpe occasio & otium
scripta illa legendi, & evolvendi non suppetit. Sed ad ipsum
festino, quod suscepi, negotium.

C A P. II.

In quo agitur de natura Metallorum.

§. 1.

Propositum ut persequerer, & ad ea venirem quæ de Lapide
dicenda erunt, de Metallorum natura quædam prælibanda
veniunt, nam, ut bene docet Nicolaus Flamellus in summario
suo Philosophico: Qui Metallorum cognitionem, certamque
scientiam, quomodo videlicet inter se invicem transmutentur,
impetrare satagit, is ante omnia scire necessum habet, qua ex
materia proveniant, & quomodo simul etiam in mineralibus
suis formentur. Qui enim planè ignorat 1. ex qua materia
metalla oriantur. 2. quibus modis, ac quâ ratione natura pro-
cedat in earum productione. 3. in quæ consistat mutua Met-
allorum differentia, aut quid sit quod illa specificet; huic in-
quam impossibile est ut rectè judicet, an metalla in se mutuo
transmutari queant; nec unquam sperandum est, talem posse
(quibusvis utatur modis, ac artibus, hujus metamorphoses
medium inventare; totum enim opus hisce est accommodandum.
Hæc igitur tria suo ordine explicanda erunt.

§. 2. Primo, de Metallis dicturo duplex se offert eorum
materia, Remota scil. & Proxima (quibus aliqui addunt tertiam,
quæ Media vocatur, & à Gaston. Clav. in Apolog. Argyr.
& Chrysop. sic describitur, materia metallorum media in vi-
sceribus terræ ea est, quæ vi causæ efficientis ex elementorum pri-
ma mistione in aliquod medium transit, quod nondum tamen
est materia proxima: quod medium est veluti quid informe,
nec certam in natura habet speciem: quod quid sit ab Auctori-
bus non est traditum.) Materia Remota, sunt quatuor elementa
Peripateticis, vel materia primi, secundi, & tertii elementi
Nobil. Cartesio; vel quomodounque voces, uno verbo est,
materia illa omnibus corporibus cum metallis communis; cui

sententiae nemo Philosophorum (quod sciām) contrariatur, sed de Materia Proxima (quam **Gast.** Clav. loco supra citato sic describit, Materia metallis proxima ea est, quae nullarum aliarum mutationum interventu à causa efficiente perficitur, & proximè formam metallicam induit, nondum tamen est metallum, sed aliam habet à metallo formam, & unica sola illius mutatione forma exsurgit.) disceptatur: Laurentius Ventura Venet. de ratione conficiend. Lap. Phil. cap. 1. 3. 10. Robertus Vallensis de Veritat. & Antiquitat. Chemic. Art. Gerardus Dorneus Art. Chemic. lib. 1. cap. 9. Albertus Magnus compend. de ort. &c. metallorum, necnon & Specul. Chem. cap. 2. Johan. Magir. Physiol. Nat. lib. 5. cap. 1. Molinæus Physic. lib. 5. cap. 6. & alii non pauci statuant esse Mercurium cum Sulphure mixtum; quam etiam Menander Johannis Baptiste du Hamel. lib. 2. de Fossilibus cap. 9. adstruit ac defendit variis, sed futilebus admodum rationibus, scil. dicit, Metalla omnia in hoc solvi; eorum proprietates hydrargo convenire, quia potest in aqua stygia exsolvi, calcinari, metallorum colores induere; & teste Plinio in venis Auri & Argenti copiosè inveniri; his addit morbos quibus fossores laborant ex argento vivo oriri &c. sed ego hisce, vel similibus argumentis nunquam inducar ad hanc sententiam amplectendam; nam hydrargyrum esse metallorum materiam non videtur; cum ejus sit proprium pleraque metalla ut Aurum, Argentum, Plumbum, Stannum, exsolvere, unde Plinius illud nominat rerum omnium venenum: Nam cuncta exedit, & per vadit vasa, permanens tare dira. Alii nonnulli volunt solum Mercurium esse proximam metallorum materiam, ut Bernardus Trevisanus de Alchem. part. 3. dicens, Materia metallica constat ex solo Mercurio frigido & humido crudo, in quo sunt etiam elementa quatuor, &c. Quidam Mercurio ac Sulphure Salem addunt; sed hisce sepositis opinionibus usquedum ratione solidâ assertæ fuerint, judicamus proximam metallorum materiam, seu sperma, ut loquuntur, esse materiam terrestrem, ad quietem magis, quam ad motum dispositam, cuius particulae speciali modo dispositæ, figuratae, sibique mutuo connexæ sunt, indeque peculiarem, & specificam Lapii huic naturam largiuntur. Sententiae huic concors admodum experientia est, Nobiliss. enim

Boy-

Boyle Obser. de generat. stanni, referens quod accepisset ab aliquibus fossoribus, dicit, Cum omne quod poterant metallum ex grandi terræ mole, ex fodiâ stanni effossa cruissent, residuum ingentibus cumulis Aeri exposuisse, ac intra viginti vel triginta annorum spatium, ita denuo ditatum reperiisse, ut rursus id ipsum cum lucro elaboraverint. Sc. tractu temporis illa materia terrestris, ac illæ particulæ, quæ prius de metallo nihil participarant, stanni naturam in duebant, particulis ejus motu vario abruptis, indeque speciali ratione configuratis, dispositis, sibique ita adaptatis, uti specifica stanni natura exigit; præter hæc enim nihil aliud iis accidere poterat. Neque enim transmutationem hujus materiæ in stannum dubiam quis reddere posset, concipiendo fumos, exhalationes, vel quidquid aliud particulæ stanni intercipientes, exhalando è terra, cui effossa moles illa erat commissa, particulis stanni huic communicasse, dum in auras ipsi abirent fumi; cum stanni partes, exhalationibus intermixtæ, æquè imo prius, & magis terræ (quam prius pervadere debebant quām ad effossam molem ad surgere valerent) sese ingessissent, iis copiosiores ad, & inhæsissent, indeque non minus, sed ubiores educi potuissent, quām ex ipsissima hac mole; cuius tamen oppositum docuit eventus. Neque etiam tanta opus fuisse temporis morâ, neque tot annorum intervallum fuisse requisitum, si modo particularum stannearum communicationi, non autem generationi fuisse locus. Frustra etiam foret excipere, non de novo generatum esse stannum, sed fuisse reliquias, post separationem præcipuarum partium stannearum, quasi in cineribus residuas, & ab operariis, non satis exquisitè exhaustas, vel eductas; nam ut paulo post refert D. Boyle, Artifex tam peritus in separandis metallicis partibus à cæteris mineraliæ stanneæ fuit, ut non posset sine admiratione spectari quām exigua corpuscula valeret ab ingenti mole terræ separare; non potuit tamen aliquid metalli exinde habere, antequam per aliquod tempus imo plures annos accumulata servabatur. Hanc etiam sententiam confirmat Jonstonius de Fossil. cap. 1. ubi refert, quod in Suecia limus ruber palustris, uno anno soli expositus in bonum ferrum abeat: non quod illa materia venis ferreis ditetur, sed in ferrum abeat, quod idem est ac in ferrum matetur. Quibus addi potest quod Cæsalpinus lib. 3. de

Metal.

Metallis cap. 6. dicit, terram metallo inanem quæ eruitur, dum vena effoditur, totam procedente tempore in venam converti; quæ testimonia, ac observationes sententiæ hujus stabilitamento sufficere videntur.

§. 3. Sed quia (cunctis adstipulantibus) materia hæc seipsum movere nequit, nec consequenter variam illam partium dispositionem sibi ipsi concedere, alia desuper requiritur, & consideranda venit causa, efficiens puta & metalla generans; præter cuius essentiam, inquirendum quomodo natura in metallorum generatione procedat; ubi haud minus variant Doctorum sententiæ, quam in præcedentibus. Nonnulli hæc exposituri recurserunt ad principia seminaria, putantes eandem esse rationem metallorum ac viventium; imo metalla viventibus annumerantes, concipiunt vivificari à spiritu universali; quæ sententia vigilantis cerebri somnium videtur: quis enim unquam probare sustinebit Platonicum illum universalem spiritum, vel animam mundo inesse. Alii videntes insolubilia huic sententiæ posse objici argumenta, judicaverunt semina illa omni vitâ privanda, & operations fieri per numeros efficacissimos. Alii iterum per occultam aliquam vim; quorum omnium explicaciones, vel ipsis Autoribus occultas & ignotas puto. Nolo Paracelsistarum, Chymicorum, aliorumve sententias referre, cum nulla earum probabilis haberi queat; easque recensendo, & refutando, prolixitate nimia non modò peccarem; sed quod obiter, & perfunctoriè agendum hic venit; ex professo tradere viderer; ac de metallis potius quam de Lapis Solis agere. Quod itaque res est, ut dicam, naturalem, immediatam, verèque efficientem metallorum causam, occultam esse judico, nec fortè ulli mortalium hactenus accuratè perspectam, & verè cognitam, ac vix fore ut manifesta ulli evadat; generaliter quidem, ut circa alias quas natura generationes, vel mutationes efficit, motus efficiens eorum causa haberi poterit; specialius fortè ignis subterranei activitas, fumus & vapor ejus; sed cuius specificæ hæc sint naturæ, quomodo operentur &c. ingenue fateor me planè ignorare; experientiam quidem, & iussum operariorum in fodinis non mihi suppetit, & qui eam habent, simili premuntur ignorantia; plerumque enim metalla in interioribus terræ visceribus generantur, ad quæ nullâ hominum pertinaciâ potest

per-

perveniri: ad hæc autem exteriora, & versus terræ superficiem;
subtilisata per terræ poros deferuntur, totum sc. ab igne sub-
terraneo, Mercurio, aliisque succis acribus, terræ visceribus
contentis, resolutum, quasi in vaporem convertitur, atque ita
facile per poros, ac mæandros terræ sursum defertur, ut docet
Clarissimus, ac Incomparabilis Vir **W O L F E R D U S**
SENGUERDIUS, Phil. Nat. part. 3. cap. 15. de
Metallis §. 4. Nec aliter sentit Nobilis Gallus Renat. Cartesius
Princip. part. 4. §. 63. unde venas constituit, respondentes di-
spositioni pororum terræ; per hos autem deferri non possent
metalla, nisi prius in subtilissimum aliquem halitum, & vaporem
resolvantur. Utque metalla in terræ gremio efformata, in va-
pores conversa, & ignis subterranei actuositate impulsa, sursum
evehentur, & ad extimam terræ crustam deveniunt; similiter
quoque poterit fumus, vapor, vel quo nomine indigitare quis
voluerit, materia fermenti vicem sustinens, particulis terrestribus,
metallicam, quam prius non habuit, naturam conciliare;
delatisque sursum metallis, atque cum, vel etiam absque iis,
fumo ejusmodi metallifico (sit venia verbo) si sufficiens ejus
fuerit copia, poterit ipsa proximè sibi adjacentem materiam ter-
restrem, præprimis si, ad huic fermentationi obtemperandum,
prædispolita utcunque fuerit, inficere, & in metallum conver-
tere; cum autem longior requiri videatur ad hoc mora, ut
si metallifici expers fuerit fumi materia in metallum conver-
tenda, eo prorsus iniciatur; vel, si ejusdem fumi & fermenti
relliquiæ quædam in eâ superstites fuerint ut adaugeatur fer-
menti moles, vel materia hac infecta convenienter subigatur,
justam partium figuram, & metalli naturæ convenientem acqui-
rat dispositionem, non illico glebæ è mineris erutæ, vel in
iis hospitantes in metallum transformantur, sed tractu tempo-
ris, longiori intervallo. Huc facit quod Clar. Boyle l. c. re-
fert, molem illam tum modò stannum subministrasse, atque ex
parte in hoc fuisse conversum, postquam annos aliquot in acer-
vis, & tumulis immota mansisset, atque ita activitati hujus fer-
menti, non alterius causæ motui, & impulsui exposita. Nec
aliter videntur glebæ illæ, ac magnæ moles auri, quæ in Gallæ-
ciâ Hispaniæ regione, referente Justino, reperiuntur, nam in
lib. 44. cap. 3. dicit; Auro quoque ditissima, adeo ut etiam

aratro frequenter glebas aureas exscindant. Et paulo post; Sed si quando fulgure terra prosciissa est , quæ in his locis assidua res est , detectum aurum , velut Dei munus colligere permittitur. Hæ inquam auri glebæ , vera si sint quæ ferunt , vix aliâ ratione generari posse videntur (neque enim tantæ magnitudinis auri , omnium corporum ponderosissimi , frusta , quæ in imis terræ visceribus generata supponerentur , ad extimam hanc crustam evehî ullâ poslunt ratione) quâm fermento , & metallifico ejusmodi fumo admisso , tractu temporis , ac pedetentim circumfusa molem inficiente , ad fermentationem sollicitante , eique naturam sibi , puta , fermento convenientem concedente : & quomodo illa naturæ phænomena , quæ refert Alexand. ab Alexandre Genial. Dier: lib. 4. cap. 9. nisi hoc supposito explicari poterunt , ubi ait , Interque eas (h, e, vites quæ in interiori Germania intra Danubium sunt) nonnullas , nescio quâ cæli temperie , seu occultâ & cæcâ origine , vites existere peculiari miraculo , & admirationis præcipuz: qnæ claviculos , & plerumque candicantia folia ex puro auro germinent , & simul coalescant , illosque vidisse , ac manibus attractasse , Regibusque & summis Ducibus unâ cum palmite vitis rimoso cortice , dono datos , ingenti miraculo fuisse : Quâ dico ratione , præsupposito vera esse , fidemque mereri historicam , quæ citata sunt , horum explicari poterit generatio , nisi subtile metallici admittantur summi , metallificus spiritus , exhalatio , aut fermentum , quod communi aliarum particularum calore , ex læticatâ , & humido convenienti imprægnatâ terrâ , divulsarum motu , ac torrente abreptum , vitis radices subit , inde cum materiâ nutritiâ versus truncum , ramulorum extremitates &c. adigitur , suâ substantiâ inauret palmites , & folia ; secessum facientibus particulis minus fixis , & ad exhalandum aptioribus . Vel etiam , nisi fermento metallifico , & specialiter aurifico , multæ particulæ procuratâ fermentatione in aurum convertantur . Profectò si metalla fixa essent , & coagulata , radicem nulla ratione possent ingredi , sed resoluta , ac in fumos , seu halitus conversa , nihil impedit , quo minus hoc fieri potuisset.

§. 4. Tertiò circa metalla consideranda venit differentia , quæ inter ea intercedit , undeque ea sit derivanda . Sunt , qui metallorum discrimen à Planetarum derivent influentiis , concipientes eos suas

suas in hisce inferioribus exercere vires , alterum quandoque
alterum debellare , & pro variò eorum influxu rerum genera-
tiones , interitus , specificationes alterari , variare plurimum ;
innuit hoc quidam Germanus Philosophus hujus sententiae in
lib. de Lapid. Philosoph. cap. 6. dicens , Et ex eo fieri potest
aurum , argentum , vel aliud septem metallorum , quatenus ipsi
in coctione suâ aut purè aut impurè admiscetur , juxta alicujus
Planetæ proprietatem , qui tum in naturali istâ coctione per in-
fluentiam suam cæteros perrumpit . Sed nolo Planetariorum ,
& Astrologorum ejusmodi deliramentis , quibus cunctis sese
deridendos propinat rationi litantibus , inhærere , cum fidem
inveniant nullibi . Alii putant discrimen esse petendum à per-
fectiori vel imperfectiori admistione Sulphuris cum Mercurio ;
& quot occurunt opinones de primâ metallorum materiâ , vel
productione , tot etiam sunt de discriminâ inter metalla
intercedente . Vera autem , ac quæ omnium recentiorum Philo-
phorum sententia , est quod diversa figura , partium dispositio ,
soliditas , &c. sola sit causa omnis metallorum diversitatis , quem-
admodum nunquam satis Laudatus ac Celeberrimus Vir WOLF.
SENGUERDIUS Phil. Nat. part. 3. cap. 15. §. 15. do-
cet : idem etiam sentit Renat. Cartes. Princip. part. 4. §. 63. &
cumeo Anton. le Grand Institut. Phil. part. 6. artic. 8. §. 6.
& Histor. Natur. part. 5. artic. 1. §. 1. Pro hujus enim asser-
tionis veritate militat cum ratio , tum quâm maximè experien-
tia ; nihil enim aliud occurrit in metallis (uti nec in aliis cor-
poribus) præter materiam eorum & formam ; materiam omnium
metallorum esse eandem , probat quæ omnibus communis est ex-
tentio , divisibilitas , impenetrabilitas , aliæque communes
affectiones , commune subjectum supponentes . Præterea me-
talla quâ metalla eadem sunt , & in naturâ metallicâ ac
materiali convenient ; omne autem quod inter ea , uti & inter
alia corpora , discriminis , & specificationis intercedit , à formâ
unicè petendum ; hæ autem formæ metallorum nihil aliud sunt ,
quâm variae particularum dispositiones , determinationes , con-
figurationes , colorationes , durities , flexilitas , aliæque ejus-
dem generis qualitates ; minimè substantiale specificans princi-
pium ; utpote cuius nullum in metallis occurrit vestigium , aut
indicium ; sed etiam cum extensum extensum , qualia sunt

metalla, in substantiali extensionis naturâ convenienter potius, quam substantialiter distinguantur; & quicquid sensus, cui fides omnis frustra denegaretur hac in parte, nihil discriminis nisi ratione accidentium, in metallis exhibeant; ac quodcunque efficiunt, unicè motu præstent.

§. 5. Atque hæc de metallorum naturâ in genere suffecerint; quia verò in sequenti capite adstruenda veniet possibilis reliquorum metallorum transmutatio in aurum, in specie pauca de auro dicenda restant; atque inquirendum quâ ratione Aurum ab omnibus aliis differat metallis. Statuo aurum constare ex particulis quam arctissimè sibi mutuò annexis ac unitis, subtilissimos, & paucos intercipientibus poros, quo in genere ab omnibus aliis metallis distinguitur, exilitate pororum, eorumque paucitate; constat hoc exinde, quod aurum intra sui poros, crassiores Sulphuris non admittat particulas; neque etiam aquâ forti dissolvatur, si aliud præter hanc actuum non concurrat; firmat idem auri præ reliquis metallis ductilitas, nam referente Plinio lib. 33. cap. 3. Nec aliud laxius dilatatur, aut numerosius dividitur, ut potè cujus unciae in septingenas, quinquagenas, pluresque bracteas, quaternum utroque digitorum spargantur. Imo nonnulli asserunt, unicam auri unciam in bracteas diductam, decem terræ jugera cooperire posse; & referunt de Fabro in Angliâ (quo imperante jam mihi non occurrit) qui feram ex quadraginta partibus constantem efformavit, cui etiam clavem adaptavit, nec non catenam satis longam, ex auro, quæ cuncta exquisitissimæ bilanci imposita, quatuor granorum pondus non excedeant. Ex hac partium arcta conjunctione omnes aliæ fluunt proprietates, quibus aurum ab aliis metallis differt, solo colore excepto, qualis etiam in nullo alio occurrit metallo; quidem ~~25~~, cui terra calaminaris admixta non est, auri colorem omnium maximè emulatur, multum tamen est discriminis, ut facile cuilibet metalla hæc ad examen revocanti, vel ad ipsum patet conspectum. Quum autem color ejusmodi, ut & omnes alii, dependeat à variâ dispositione, & configuratione superficie, atque auri color neque prorsus fit flavus, neque etiam omnino rutilans, ac rubicundus, sed mediae veluti conditionis inter illos; ac flavescens color, ut medius inter album & rubicundum, partium solidatem, quâ radiis incidentibus sufficienter resistere, eosque vali-

dè

dè fatis repercutere valent, consistat; ac desuper, in quantum de albedine participat, planam superficieularum constitutionem exigat, cuius causā simplicem radii patiuntur reperussionem, absque globolorum circa centra suâ circumvolutione; quatenus verò de rubidine, habet gibbosam partium superficialium constitutionem, quâ incidentes globuli cælestes, ubi reperiuntur, circum centra gyrate coguntur: necessum est auri tincturam, ut inter flavam & rubicundam intermedium, in ipso supponere majorem partium extremarum collicularem, ac gibbosam constitutionem, quâ ad flavedinem requiritur, minorem verò quâ illud exigit, quod prorsus rubicundum erit habendum. Maximam desuper auro partium competere contigitatem, summamque soliditatem, cum in laminas redactum subtilissimas, cuius nullum capax aliud est metallum, resistendo non tantum incidentes luminis radios reverberet, sed maximâ cum vividitate, scintillationem æmulante, aciemque visus perstringente; nullosque proinde radios, aut vix ullos intra sui poros detineat, suffocet, extinguat.

C A P. III.

In quo Possibilitas metamorphoseâs omnium metallorum in aurum adstruitur, ac probatur.

§. I.

Nunc præmissis iis, quæ possunt aliquid conferre ad meliorrem, ac feliciorem quæstionis intellectiōnem, ad propositum; non autem est quod quis putet me explicaturum ex quâ materiâ & quibus modis ille Lapis præparari, ac componi debeat, nihil enim dicere constitui de regimine ejusdem, vel in genere, vel in specie, neque an ad regimen pertineat bonam habere radicem: vas opportunum: quis sit congruus modus imponendi Lapidem vasi: de vasis clausura: an furnus, qui Atkanor appellatur, sit necessarius, & quis sit: de igne in operatione re-

quisito, qualis esse debeat ; an vchemens, an latus &c. an determinato tempore perficiatur Lapis : quomodo procedendum sit in metallorum transmutatione : de Lapidis utilitate : cur ex multis eum querentibus pauci invenerint : quas habeat conditiones , & per quæ signa cognosci possit &c. qualia satis multa tradi solent à Chymicis , aliisque, prolixè admodum , occultè & quasi mysticè , hæc adumbrantibus ; quo ita Lectoribus in sacrarium cognitionis hujus artis admissi viderentur , nec tamen ab iis intelligi possent. Sed tantum quod Philosophicum est , hujus erit loci inquirere ; an videlicet materia aliqua, vel Lapis dari possit, per quem reliqua metalla in aurum possent converti, sive de possibili metallorum transmutatione; illud saltem annitar demonstrare, metallorum naturam admittere mutuam transmutationem , & nullam dari repugnantiam in ipsâ re. Fieri hoc posse, factum ostendit, nam illâ arte caluisse Arnoldum de Villa nova , non pauci norunt, Johannes Andreas Jureconsultus de eo sic scribit: Nostris, inquit, temporibus habuimus Arnoldum de Villâ novâ in curiâ Romanâ summum Medicum ac Theologum , de quo scripsimus consilium de observatione jejunii , qui & magnus Alchimista , virgulas auri , quas faciebat, consentiebat omni probationi summitti. De Kelleio Anglo hæc refert Penotus Aquitanus: Pragæ , inquit , meo tempore idem ab Eduardo Kelleio factum in ædibus D. Aggesii Thadæi , ubi libram integrum argenti vivi in purissimum aurum conversam guttulâ unâ pulveris rubicundissimi VIDI. Johannes Franciscus Picus Mirandulæ Comes , vir omni exceptione major , se multoties expertum fuisse metallorum transmutationem , atque aurum ex plumbo factum omni examini subjecisse testatur: imo, plus quam viginti se tenere aurum conficiendi modos sanctè affirmabat, hinc illud Epitaphium, quod Romæ tumulo ejus inscriptum AURI EX PLUMBO COLLECTORI. Bernardus etiam Trevisanus , coram Republicæ Venetæ Duce, & aliquot Senatoribus, argentum vivum in aurum convertit. Theob. Hoghelande de nobili Scoto refert , qui Colonizæ Agrippinæ, anno 1603. coram auri fabris ferrum & plumbum in purissimum aurum convertebat , atque idem Basiléæ , & Argentorati fecit. Multa desuper alia sunt , ac tantorum virorum testimonia, ut impudentis foret, omnem iis fidem denegatam velle. Sed objecerit fortè quis , omnes huic

huic arti & negotio navantes operam, aut plerosque saltem, Chymicos esse, quorum fides valde est suspecta, uti dixit non nemo, magnificè, ac gloriose loquuntur.

Atque immensa cavi spirant mendacia folles.
Sed Philosophi non redolet sententias, etiam si falsas, audaciter, & magni loquentiis rejicere, non ille est Philosophus, qui

Projicit ampullas, & sesquipedalia verba:

Sed qui suam sententiam rationidus confirmat, & contrarias iisdem mediis refutat; Philosophi enim contubernalis Ratio est, sine quâ vel minimum agere non decet. Sed Chymicorum fides si sit suspecta; quibus hac in re fidendum erit, an Misochymicis? an Pseudochymicis? an iis qui planè ignorant quid illâ arte perfici queat: qualis obsecra judex futurus in iis quæ controvertuntur, num ille qui nihil de jure percepit, vel nihil de eo novit; neminem latet, quâm feliciter puer rusticus, qui nihil de Romanâ lingua audivit, illâ utentes intelligere queat; quam venustè, ac succinctè Logicus demonstrare posuit, omnes angulos trianguli æquivalere duobus rectis; vel trianguli rectanguli, quadrata laterum, æqualia esse quadrato quod describitur a latere rectum angulum subtendente, omnes norunt. Artifici perito credendum in suâ arte; neque fides facile ulli deneganda, nisi fallendo ipsam reddiderit ipse suspectam; ubi plures diverso tempore, diversisque in locis similia referunt facta, historicam iis denegatam velle fidem, æquitati, ac charitatis judicio foret adversum.

§. 2. Sed quemadmodum Philosophum non decet, talia testimonia, nisi ratione contra nitente, absolute rejicere; ita quoque non illud est Philosophari, testium fidei unicè sese committere, aut sepositâ ratiocinatione, solis aliorum relationibus fidere, iisque modo adserita sua firmare. Quo itaque, quod Philosophi est præsternit, quid ratio de possibili metamorphosi metallorum doceat videndum. Supposito itaque verum esse quod ante dedimus demonstratum, videlicet metalla à se mutuo differre, non ratione substantialis naturæ, sed tantum respectu accidentium & modorum, substantiæ eorum inhærentium; cumque hæc in duplice sint differentiâ, quædam videlicet adeo arctè subjectis suis connexa, ut ab iisdem divelli, vel abesse nequeant; alia verò tam firmum cum subjectis nexum non involventia; hæc separabilia, illa vocantur inseparabilia; ac metal-

metallorum discrimen non sit petendum ab ejusmodi accidentibus, quæ à corporeâ mole, ut accidentium illorum subiecto, inseparabilia sunt; cum hæc communia omnibus metallis sint attributa, horumque respectu metalla eadem potius sint specie, quam diversa; sed omnem metallorum differentiam accidentia illorum seperabilia efficiant, puta major minorve durities, mollities, rigiditas, flexilitas, soliditas, porositas, hic illeve color, & tinctura, aliæque modificationes, & particularum terrestrium, metalla componentium, determinationes, à corporeâ, eorum mole quâ tali, separabiles; neque ulla, in ullo corpore, concipi queat separabilis dispositio, quin hoc ipso quod separabilis esse statuatur, introducto motu sufficienti, & impulsis, naturæ corporum particulari convenienter, satis validè eorundem partibus, ipsa destrui, & nova in ejus locum substitui queat dispositio & forma; consequens est nullam metallo alicui dispositionem & formam inesse, quin eâ privari, & alterius metalli essentiâ donari queat, adeoque possibilem esse metallorum dictam transmutationem, & auri ex alio metallo generationem. Neque est quod quis objiciat, metalla, si priorem formam (h, e, accidentia) exuant, ob præexistentem in illis subiectis determinationem, hanc potius, quam aliam induere posse: Verum enim hoc esse lubens concedo, unde etiam experimur corpora, ubi mutationem subeunt, non in quodlibet converti, sed in ea modò quæ cum hac prædispositione congruunt; indeque difficillimam evadere corporum in oppositæ priori naturæ conversionem; adeoque metallorum transmutacionem haud levi negotio perfici; certum interim est, uti specificas rerum formas, & dispositiones mutari experimur, similiter quoque prædispositiones eorundem subiectorum destrui, novisque posse introduci; eandemque materiam, uti apta magis erat ad priorem formam recipiendam, propter priorem prædispositionem; ita quoque propter novam hanc prædispositionem, eversâ priori, eam facilius alterius, quam prioris metalli naturam induere posse. Frustra quoque foret ad appetitum, vel inclinationem metallorum ad certam formam recurrere, cum in rebus ratione destitutis, appetitui & inclinationi propriè dictæ locus non sit; & si quæ daretur, cum natura in sui non verget interitum, inclinatio ad optimam formam, puta auri, quam

ad

ad aliam quamcunque in metallicis corpusculis admittenda foret; adeoque eorum quæ auri non habent naturam, ad formam auri; qualis inclinatio, transmutationi adjumento potius foret, quam eam redderet difficiliorum. Præterea, cum materia indifferenter sese habeat ad omnes formas (non simul, sed successivè) recipiendas, ut probavit Celeberrimus Vir WOLF. SENGUERD. Phil. Natur. part. 1. cap. 3. de Materia. §. 18. & illæ omnes formæ à motu orientur, ut ibid. cap. 5. §. 1. Cartes. princip. part. 2. §. 23. non video, cur, adhibito motu requisito, variae dispositiones partium (unde formæ oriuntur) metallorum, non possent alterari; & cum ille motus, ejusque determinatio, dependeat à causâ efficiente, datâ causâ, quæ hîc erit Lapis, Solis dictus, secundùm specialem quam habet auri naturam agente, aut fermenti instar motum determinante, mutationem regente, & quasi specificante effectum, specialiter determinabit partes metallorum; quæ determinatio & dispositio partium, cum non possit non convenire cum efficiente, aut ejusdem operandi ratione, auri formam, & naturam specialem efficere debebit.

§. 3. Posito verum esse (quo nil etiam certius datur) ex eodem agente, eodemque paciente, iisque eodem prorsus ratione operantibus, & activitatem recipientibus, eundem necessariò sequuturum effectum; nihil profectò naturæ rei magis erit conveniens, quam metallorum possibilis transmutatio: Eandum enim auri & reliquorum metallorum esse materiam in genere, nemo inficias est iturus. Imo aurum specialius cum reliquis metallis, quam aliis convenire corporibus, communis metallorum gravitatis excessus, præ aliis, docet; unde & materiam auri, aliis haud raro inesse, nemo negabit, argentum ipsum omni auro inesse vario pondere affirmat Cæsalpinus; & Vidi, inquit Albertus Magnus, aurifibram quæ per silicem discurrebat, degenerasse in argentum, cum ad aliud lapidis molitoris ac rareris genus pervenisset. ibi materia eadem fuit, diversa autem efficiens causa. Et Jonston. refert de vena plumbi, in Sclavonia, quæ in argentum quadragesimo transit anno, & squamma æris sicca in anno in aurum. Quum autem materia ejusmodi seipsum transmutare non potuerit, necessum est aliquam illius mutationis causam extitisse; nihil autem vetat, quin eadem adhuc in naturâ detur; cum communis omnium, quæ accident in materia mutationum, causa motus existat, qui esse

Naud desinet , sed in eadem quantitate in universo manet. Eâdem itaque admissâ efficiente causâ , idemque transmutationum illarum subiectum , uti eorum admittenda erit possibilis transmutatio , ita quoque aliorum metallorum in aurum. Regeret forte quispiam , ejusmodi transmutationem non extra , sed in mineris contingere , 1. quia naturam ibidem potius , quam aliis in terræ locis circa metallorum effectiones actuosam experimur. 2. Quia in iis, transmutationis latitat fermentum , aut quod Chymicis dicitur Philosophorum Elixir , seu Mercurius , vel Helmontii Alkahest. Sed in promptu ad hæc est responsio , quantum enim ad prius , naturam in mineris præcipue metalla generando , qui ibidem fit transmutationem procurare concedo ; sed eam , quod illic præstat , etiam alibi & extra mineras perficere , non posse , nego ; non enim naturæ operationes , certis adstrictæ sunt locis , ita ut nec alibi possent peragi. Quodque in mineris sola videtur operari natura idem quoque extra mineras , arte perfici posse , negandum non erit , cum eo in casu , ars non esset effectum productura , vel omnino contra vel absque naturæ concursu ; sed quod sola præstituta non esset natura , id artem effecturam , quæ naturæ famulatur ignem regendo , vasa præparando , &c. putamus illam opus absolvere ; & naturam multa efficere arte sibi ancillante adjutam ; quæ alias nunquam posset , omnes norunt : præsertim Medici , Agricolæ , &c. Quod ad posterius , præter omnem rationis speciem supponeretur , fermentum , sive materiam transmutationem specificaturam , unicè in mineris occurrere ; ut enim , experientiâ teste , nulli corporum species , aut determinatae essentiae particulis , fixas natura adsignavit sedes , quas non excedant , ita quoque probabile non videtur , fermentum ejusmodi in mineris unicè reperiri , ibidemque in occulto manere. Sed instant Adversarii , si fermentum illud , aut quæcumque fuerit specificans materia detur , quæ valeat metalla quævis in aurum convertere , quia ipsum auri naturam ac essentiam purissimam habet , eâdem ratione etiam valeret , omnia corpora , & omnem materiam terrestrem in aurum transmutare ; nam æquè reliquis corporibus ac metallis fermenti loco inservire posset , ut in aurum abeant. Sed regero , disparem prorsus esse utriusque rationem , nec sequi , quod urgere videntur ; res enim mutandæ , quidem in genere convenient cum eo , in quod convertendæ sunt , non autem inter se con-

con-

conveniunt, neque æqualiter approportionatæ sunt specificæ illi
naturæ quam mutatione acquirerent. Altero enim in casu, ma-
teria quasi inhabilis, prorsus indisposita, rudis, & inepta, est ad
auri naturam induendam ; alio verò in casu, puta, in metallis,
aliqualis prædispositio est, & major eorum cum auro congruen-
tia, quam cæterorum corporum : Quare si fermentum illud,
vel Solis Lapis, materiam illam inhabilem in aurum transmutaret,
etiam crearet secundariè ac mediatè, qualis creatio non est crea-
turis tribuenda. Præterea, causa efficiens operatur, non tantum
pro sua activitate, sed etiam pro receptivitate patientis, (ut
dicunt Philosophi) quodcunque autem corpus non potest eâ-
dem facilitate recipere illam naturam auri, nec æquè aptum ad
hoc existit. Sed huic iterum objiciunt Antagonistæ, quod si
omnia corpora, non sint æqualiter apta eandem recipere formam,
igitur falsum est quod §. 2, hujus capituli ut verum assumsi, sc.
omnem materiam, sese indifferenter habere ad omnes formas ;
sed peccant illi in confusione corporis ac materiae, nam per
materiam intelligimus extensionem, sine formâ, sive materiam,
simpliciter spectatam nullo habito respectu ad formam, & sic
materia simpliciter spectata, verè indifferens est ad quamlibet
formam, sed corpus est materia cum formâ, nunc materia æ-
què facile potest hanc quām illam formam suscipere, quia conci-
pitur adhuc nullam quasi habere; corpus verò cum habeat for-
mam ut aliam suscipiat, requiritur vis priorem destruens, igitur,
illa vis in corpore requiritur, quæ in materiali non requirebatur.

§. 4. Sed ne ulterius probando, vel ab objectionibus Adversario-
rum, nodos in scirpo quærentium, vindicando, immoremur rei
satis per se perspicuæ, quid magis in naturâ familiare & obviam,
quām rei unius speciei in aliam commutatio ? vel (ut rectius
ac distinctius loquar) quid sæpius in naturâ contingit, quām
mutatio & quasi translatio terum ex una specie in aliam à priore
diversam? species enim ipsa non mutatur in aliam speciem, hoc
enim absurdum foret statuere; sed res unam speciem exuant &
aliam induant, vel potius specificam priorem essentiam amittunt,
& novâ ditantur, & nullâ magis re ipsa quasi natura de-
lectari videtur, quām continuâ rerum conversione, absque
interruzione procedente vicissitudine, & rerum in aliam
speciem quasi translatione. Si ipsam attenderimus ani-
malium generationem, nutritionem, accretionem, ea evi-
den-

dentissimam hujus nobis speciem præbent. Quæ alimentorum habent rationem, ex non corpore specifico animalis, in ejusdem convertuntur substantiam, dum vitæ erant expertia, viventis partes evadunt, & de illâ suo modo participant; anno panis convertitur in Chylum? Chylus in sanguinem? sanguis in musculos? fibras? nervos? ossa? carnem? &c. & hæc omnia moriente animali in vermiculos? hi in pulverem? pulvis in gramen? gramen in Chylum? sanguinem? lac? carnem? &c. vaccæ, hæc iterum in hominis vel alterius animalis substantiam? an igitur sola metalla communi naturæ legi soluta erunt? quomodo illa dum naturalia, supernaturalia fiunt? fætidus, tenebricosus, ac impurus fumus extinctæ candelæ, nullo negotio, mutatur in lucidissimum ac purum ignem, & annon metalla omnibus naturæ ac artis viribus, possunt in se mutuo transmutari? imo certè, ex ferro Æs facile fit. Nimirum si ferrum (sunt verba Anton. le Grand. Institut. Phil. part. 6. artic. 8. §. 7.) in atra mentosam, & vitriolatam aquam conjiciatur, ejus superficies rufescit, ex qua subinde pulvere abraſo, si illud igne fundatur, in Æs evadet. Argentum etiam vivum in plumbum converti potest. Quippe (inquit le Grand loco citato) si redacto in cinerem plumbo, seu Lithargyro, aceti Phlegma infundatur, & paucæ deinde hujus aceti guttae in argentum vivum aquâ forti dissolutum infundatur, illud statim invasis fundum subsidet, pulveris instar, qui igne fusus in plumbum converteatur. si itaque hæ aliæque innumeræ in universo accidunt mutationes, rerumque in res alterius speciei conversiones, quas inter major diversitas, & oppositio veluti intercedit, quæm inter aurum & reliqua metalla, quid ni & cætera metalla in aurum convertibilia sunt habenda? Plinius (quem tamen haud raro decipere, vel deceptum, lubens agnosco) Histor. Nat. lib. 35. cap. 17. refert, solo contactu strigiles, vestes, & calceamenta, lapidea fieri, an ergo impossibile erit tantis conatus ex plumbo vel alio metallo aurum facere? & si perpendamus admirandas planè quas Chymici producunt operationes, ac mutationes, magis forsitan possibile videbitur; nam D. Boyle Chymist. Scept. part. 1. prop. 2. dicit. Atque idem Aurum communi Aqua Regis, & (expertus loquor) quibusdam aliis menstruis in apparentem liquorem reduci potest, adeò ut Auri corpuscula unâ cum corpusculis Menstrui per chartam emporeticam

ticam penetrare non negent , cumque iis etiam in salem Crystallinum coagulari. Et expertus fui ulterius, me parvâ salinâ cujusdam substantiæ à me præparatæ copiâ satis facile sublimare Aurum posse, in rubicundorum Crystallorum mediocris longitudinis formam ; multisque aliis modis Aurum palliare , suamque operam conferre ad corpus tum ab ipso, tum à se invicem valde diversa constituenda , & nihilominus tamen postea, ad idem Numericum, Flavum, Fixum, Ponderosum, & Malleabile Aurum , quod ante mixturam erat reduci potest. hæc Boyle. & quis non novit Chymicos suâ arte posse Aurum in fumos & vapores convertere : Mercurium in communi aquâ forti resolutum, post evaporationem humidi in pulverem rubicundum & de flavo participantem conversum ire, ipsenon semel sum expertus. Præterea, Videmus (inquit D. Boyle de Orig. & virtut. Gemmarum) particulas Argenti in Aquâ Forti , vel Plumbi in spiritu Aceti, per resolutionem reductas in formam fluidam, ut ut prius opacas, postea tamen ita esse dispositas, ut non tantum constituerit pellucidam solutionem, sed & si placuerit, pellucidas crystallos. Per distillationem, Oleum Anisorum transmutatur in nigram, piceamque substantiam , D. Boyle Paradox. Chym. ubi satis probat illam substantiam, non modo separari ab oleo, sed etiam recens esse generatam. Ex urinâ humanâ secundum artem præparatâ fit Noctiluca , seu Phosphorus Chymicis dicta , quæ sponte lucet, imo & res comburit , pulveremque pyrium incendit , &c. sed qui legunt Chymicorum scripta, satis magnam Experimentorum & Operationum turbam inveniet, quæ non possunt non admirationem excitare , & quæ debitæ consideratæ, & cum nostro casu comparatæ, pleræque multò videbuntur impossibiores, quam est metallorum transmutatio , & cum experientia doceat Chymicos effectus illo difficiliores, imò qui videntur cum naturâ pugnare, posse producere, in ipsam arietare censendi essemus rationem , si negare vellemus possibilitatem mutationum factu faciliorum. Quibus alias adjicere rationes possibilem metallorum transmutationem evincentes , ut & experientias non contemnendas, multum luminis præsenti negotio allaturas , facile foret; ne prolixitate nimia me tedium Lectori creaturum vererer; unde dicta suffecerint.

§. 5. Videndæ paucis restant proprietates vel affectiones auræ, quo constet eas aliis quoque metallis inesse posse ; indeque

possibilem conversionem eorum in aurum , absurdam censeri non posse. Primo h̄ic sese offert loco subtilitas particularum , quā aurum reliquis metallis superius est ; nullā cum rationis specie aliis metallis denegari h̄ec potest, cum enim omnia ex materiā in indefinitum divisibili constant , eaque potentia , vel divisibilitas æqualiter omnibus competit , admitti nequeant Atomī , sive particulæ naturā suā indivisibiles , quarum aliæ forent majores aliis ; multo minus concipiendum minores Atomos constituere Aurum , majores verò reliqua metalla ; quæque ex majoribus & crassioribus conflata sunt particulis, non posse eam subtilitatem accipere, quam aurum habet ; Atomica enim ejusmodi ratio Philosophandi , à Philosophis passim indefinitam materiæ divisibilitatem agnoscētibus , repudio missa est. Nec video (ut cum Dom. Boyle de producibil. Chymic. Princip. part. i. loquar) cur impossibile sit , ut actio ignis corporum particulas ad eam tenuitatem redigere queat , illasque , vel inter se consociare , vel cum particulis aliorum corporum ; Nam quām violentus & irregularis sit motus particularum ignem constituentium , & metalli in ignem liquifacti , omnes norunt , illæ autem particulæ , vehementi ac irregulari in motu constitutæ , in se mutuo vel obviam impingentes materiam , necessariò debent angulos extantes abradere , & consequenter , particulas magis subtilem reddere. Hisce accedit substantia aurifica (si liceat eo verbo uti) & forsitan corrosiva , erodens , ac dissolvens substantiam , quæ in aurum transmutanda venit. Ex hâc particularum subtilitate sequitur , Auri gravitas sc. Particulæ cum valde sint exiles ac politæ (nam Dom. Leeuwenhoek Continuat. Arcan. Natur. Epistol. 100. dicit , quod ope miroscopii aureas particulas contemplanti , apparetur ejus magnitudinis , ac vulgares arenulæ nudis oculis conspicetæ videntur ; & in eadem Epistol. refert se aurum conspexisse constans ex particulis adeo lævigatis ac teretibus , quasi polita essent , imo ut ne vitrum quidem magis sit politum) Quales politæ ac exiles auri particulæ , proximè invicem appositæ , & arctissimè sibi mutuo connexæ sunt , quo ita magna ejusdem materiæ moles minori intervallo contineri queat ; Ex hac arcitiori partium auri nexu , maximâque earum viciniâ , altera auri affectio & proprietas emergit , gravitas , puta , quæ ipsi præceteris competit ; verū neque h̄ec proprietas ita competit auro , ut aliis particulis communicari nequirit , vel aliæ corporum

porum particulæ similiter vicinæ invicem reddi non possent ,
dedimus enim probatum , reliquorum metallorum particulas,
posse ad eundem cum Auro subtilitatis gradum reduci , quod
autem Auro competit propter illam subtilitatem , idem quoque
aliis metallis propter eandem subtilitatem competere posse , quis
negare sustinebit ; præterea ingens illud orbis Philosophici Lu-
minarium Robert. Boyle de Ponderabil. Flammæ , multis ,
præclarisque experimentis probat , ipsum ignem adaugere pondus
metallorum & Mantiss. Experiment 2. demonstrat , octo un-
cias puri stanni bihorio in ignem liquefactas viginti quatuor grano-
rum pondere adauctas fuisse ; si igitur metalla ab igne possint
pondere augeri , non opus est , ex longinquò aliam querere causam ,
quæ idem præstet . Leve foret negotium ex eodem principio eruere
communicabilitatem aliarum auri proprietatum , maxima parte ,
ex soliditate & gravitate ejus derivandarum ; si enim ipsa commu-
nicari queat partium contiguitas , & ponderis incrementum , cau-
ſæ quæ hisce impertiendis sufficiunt , satis potentes sunt habendæ ad
alias affectiones procurandas . Sed alia utcunque coloris est ratio ,
qui neque dependet à subtilitate particularum , nec à gravitate ,
vel soliditate quam gravitas supponit , etiamsi quidem quantum
est albedinis ab ea dependeat , quemadmodum cap. 2. diximus ;
Interim tamen similem auri tinctoriam & colorem aliis metallis
inesser posse , nihil vetat , nullum enim dubium est , quin ean-
dem habere possint superficie configurationem , à quâ illum co-
lorem dependere diximus , quam Aurum habet , præprimis cum ,
experienciâ teste metallorum sæpius colores immutentur , ita
plumbum multoties liquefactum , jucundissimum ac auro quam
simillimum induit colorem ; legant qui volunt Boyle de Colo-
rib. part. 3. ubi plura inveniuntur ejus rei experimenta . Sufficerit
paucis Lapidis Solis , metallorumque transmutationis , demon-
strasse possibilitatem ; eamque vindicasse ab objectiunculis , quas
hujus artis osores , & ejusdem cultorum derisores sibi in animo
quam pueriliter fingunt ; rogatosque volo Lectores , ut vos ,
quibus suppetit otium id compleatis : quod auspicatus sum ,
perficiatis ; hanc artem nobilem defendatis ; quod rudè
adumbravi ego , vos accuratori penecillo delineatis exactius ;
imperitorum clamores ne vos terreat , nam cum Comico ex-
clamare licet .

*Homine imperito nunquam quicquam injustius.
Qui nisi quodipse fecit, nil rectum putat.
Sed tamen dum in hæc arte versamini, ab impostoribus caveatis, nam
Felix quem faciunt aliorum pericula cantum.*

ΕΠΙΜΕΤΡΑ,

I. EX LOGICA.

1. *Ad omnium disciplinarum Philosophicarum bene esse, necessaria est Logica.*
2. *Sine quâ nemo masculam consequetur eruditionem.*
3. *Etiam eo nomine commendabilis est, quod compendiose & cum judicio de rebus differere doceat, item audire, legere, scribere, meditari, ac conferre.*
4. *Logica benè dividitur in tres partes, secundum tres operationes mentis humanae.*
5. *Prima, agit de simplici apprehensione, secunda, de Judiciis, Tertia, discursu.*
6. *Decem dari prædicamenta, seu categorias veteres rectè senserint.*
7. *Una substantia non est magis substantia quam alia.*
8. *Nec substantiae sibi mutuo contrariantur.*
9. *Nulla dantur Relationes quin aliquid habeant fundamenti, nam cæteroquin quidvis ad quodvis referri posset.*
10. *Quatuor dantur instrumenta Logica, Definitio, Divisio, Syllogismus, Methodus.*
11. *Figura Galenica, seu quarta admitti potest inter Syllogismos rectè concludentes.*
12. *Syllogismi hypothetici procedentes à positione consequentis ad positionem antecedentis, non rectè concludunt.*
13. *In sorite requiritur ad minimum, ut propositio immediate præcedens conclusionem sit affirmans.*

14. Optima Methodus est, qua progreditur à facilioribus ad difficultiora.
- 15 Logica communiter Practica dicta, à studiosis non est omittenda, docet enim regulas artis &c. in usum diducere.

II. EX MATHESI.

1. Numerus semper ac semper in infinitum augeri potest, non autem minui.
2. Numerus cum Euclide Describatur quod sit, multitudo ex unitatibus conflata.
3. Nulli numero nec denario, nec ternario, nec septenarius nobis competit efficacia, quare quæ quidem pro eorum virtute Physica proferunt, gerris sicutis leviora sunt.
4. Demonstrationes per super impositionem, vel ad absurdum, legitime sunt.
5. Inter Celestia mundi Systemata, quæ hodie circumferuntur, primas tenet Tychonicum; nam praerogaverunt, solvit, quam Copernicanum.
6. Planetæ non moventur circa terram ut centrum, sed solem; Sol verò circa terram movetur.
7. Ratio cur Sol plus temporis impendat, progrediendo ab æquinoctio vernali ad autumnale, quam progrediendo ab æquinoctio autumnali ad vernalē est, quod terra non sit verum centrum ejus motus, sed tantum prope verum.
8. Puteus ad perpendicularum effossus non erit Cylindricus, sed turbineus, cum nulla perpendiculara re ipsa parallela sunt.
9. Cometas malorum prænuncios esse, constans ab omni ævo experientia docuit.
10. Duodecim signa Zodiaci imperium aliquod in hominum

*minum corpora diffundere, sunt planetariorum deli-
ramenta.*

11. *Planetarii & Almanachistæ ex Eclypsibus Solis &
Lunæ, & siderum aspectibus, de bellis, eversioni-
bus rerum publicarum, morte personarum illustrium
&c. prognosticare, non possunt.*
12. *Singulis passibus quibus progredimur, alium vide-
mus horizontem.*
13. *Luna nunquam minus illuminatur, quam cum est
plena.*
14. *Luna potest Eclypsin pati etiamsi utrumque lu-
minare supra horizontem conspiciatur.*

III. EX PHYSICA.

Tum Generali : tum Speciali.

1. *R*ealiter differt Philosophia Naturalis ab omni-
bus aliis disciplinis.
2. *Considerat enim corpus quâ tale, quod nulla alia
disciplina facit.*
3. *Physicorum principia tria sunt, duo constitutiva,
Materia sc. ac Forma, unum effectivum, sc. Mo-
tus.*
4. *Materia est subjectum omnium mutationum, quæ
in naturâ sunt.*
5. *Materia est in infinitum divisibilis.*
6. *Inseparabilis enim ejus proprietas divisibilitas est,
fluens ex ejus essentiâ.*
7. *Consistit autem & tota absolvitur in Extensione.*
8. *Ex quâ fuit etiam impossibilitas mutuæ corpo-
rum penetrationis.*
9. *Perperam nonnulli spatio tribuunt extensionem, illud-
que cum corpore confundunt.*
10. *Forma dat rei tale esse.*

11. Formas materiales substantiales in brutis non dari nullà suadetur ratione.
12. Motus liquorum, qui sunt in Antliis. tubo retorto, Philtro, cucurbitulis, suetione mammarum, tabaci, respiratione, & que plura sunt id genus recte dixerint quidam, fieri ob fugam vacui.
13. Universa corpora nunc existentia constituant hunc mundum; & si alia darentur corpora, etiam si eodem modo disposita & in omnibus hujus mundi corporibus similia, alium dari mundum dicendum foret.
14. Infinitus Mundus Cartesii non potest admitti ab iis, qui norunt quid sit creatura.
15. Cartesius ipse fatetur quod, si darentur loca extra mundum, particulae vorices constituentes, cum conantur recedere à suis centris dissiparentur, & quod in illa loca vel spatia abirent nullam ibi invententes resistentiam: dari autem talia loca plerique concedunt & ipse Cartesius concedere debet.
16. Etiamsi ille dicat (princip. part. 2. §. 21.) cognoscimus hunc mundum, sive substantiae corporeae universitatem, nullos sui extensionis fines habere.
17. Motum in principio à Deo corporibus inditum fuisse videtur, & adhuc ab Eo in eadem quantitate conservari.
18. Mundum ab eterno fuisse, impossibile est.
19. Dari Ignem sub concavo Lune, negant illi, qui nesciunt quid ille ignis sit.
20. Magnetem operationes suas exercere; ope particularum stratarum ut adversum rationi rejicimus.
21. Motus reciprocus sive fluxus & refluxus maris, an possit explicari dubito valde.
22. Qui statuunt causam ejus esse pressionem materia, inter Lunam ac terram fluentis, nunc magis, nunc minus, nunc hic, nunc alibi, propter Luna appropinquationem ad terram, factam, errant.
23. Montes, Valles, Maria, Bestias, ac homines aut hominiones, existere in Luna vel Iudicant non credit.

III EX PNEUMATICA

1. Animam rationalem nunquam morituram recentiores Philosophi omnes concedunt.
2. Mens est libertima & tamen maximè necessaria, ab determinata.
3. Unica actu a Deo creari, ac corpori uniri videtur.
4. Claram & distinctam Dei ideam, nemo potest Creaturarum habere.
5. Prorsus est illicitum de existentia Dei dubitare.
6. Dici non potest Deum posse fallere si velit.
7. Attributa Dei vel sunt communicabilia, que fluunt ex spiritualitate, vel incommunicabilia, que fluunt ex Deitate.
8. Judicium est actus intellectus, non voluntatis.
9. Contradictoria, sive que contradictionem involvunt, Deus non potest.
10. Ex innata idea demonstrari non potest Atheo existentia Dei.

IV. Ex ETHICA POLITICA.

1. Actiones humanae non possunt ad hominis voluntatem determi-
nari, sed actiones hominis possunt.
2. Humana igitur actiones, non possunt esse peccaminose, homi-
nis iterum possunt.
3. His igitur non illis prescribitur Lex, que naturæ dicitur.
4. Summum omnium bonum, objectivum est Deus, formale autem
ejusdem fructu.
5. Affectus sunt vehementiores animi commotiones, excitatae à
perceptione rei bone aut male, conjuncte cum vehementiori motu
corporis.
6. Omnes affectus possunt reduci ad Amorem & Odium.
7. Politica est disciplina docens Rempublicam constitutere, & con-
stitutam conservare.
8. Ad rempublicam non requiruntur plures Familiae, cum una si-
stit numerosa sufficiet.
9. Optimus regiminis status est mixtus ex Monarchico, Aristocra-
tico & Democratico.
10. In tali regimine sunt omnium statuum simplicium quidem in-
comoda, sed sunt etiam omnium comoda.

F I N I S.

